

liorem partem velis interpretari, & si quâ fortè in parte expectationi Tuae non satisfactum fuerit, cogitare, illum hominem, qui omnibus placeat, nondum natum esse; præprimis cum non ostentationis (quoniam curte ingenii mei suppellectilis probè sum gnarus) sed exercitii & indagandæ veritatis causâ labor hic à me susceptus fuerit. Vale.

CAPUT I.

Principiorum Chemicorum naturam brevibus explicans.

§. I.

Cum animus nobis hîc non sit conscribere Disfertationem aliquam Chemicam, aut de ipsâ chemiâ, multò minùs ejusdem principia fusiùs tradere, meritò præliminaria, quæ de eâdem alias dicenda forent, Historiam sc. sectas, aliaq; tanquam scopo nostro haud interservientia, omittimus, & eò lubentiùs quidem, quoniam Artis hujus nobilissimæ incrementa prolixius legi possunt in Doctissimâ Experientissimi Chemiatri *Olai Borrichii Disfertatione de Ortu & Progressu Chemiæ.*

§. 2. Ut verò Lector omni principiorum Chemicorum notitiâ destitutus, sciat quid per eadem intelligamus, brevissimè quantum fieri poterit, pro instituti ratione eorundem historiolum quandam trademus.

§. 3. Notandum autem statim in limine, nondum Chemicos, etiam hodiernos, inter se convenire de eorum numero, cum alii quatuor, alii tria, alii quinque, alii duo tantùm agnoscant.

§. 4. Primam opinionem quod attinet, quæ est Aristotelis & Peripateticorum, eadem ferè hodie exspiravit; demonstratum enim est, neq; Ignem, neq; Aërem, neq; Aquam, neq; Terram (prout scil. non in Scholasticorum cerebro sed

in